

15

183

Theses Theologicae:

QUIBUS SANA EC-
CLESIIARUM AUGUSTANAE
CONFESSIONIS DE JUSTIFICATIONE

HOMINIS PECCATORIS CORAM DEO DOCTRI-
na ex fontibus Israëlis repetitur, & de ea *αὐθιγῶς*
instituitur publica:

PRAESIDE JOHANNE VINCKELMAN-
no, S. Theologiae Doctore, & in Academia Marpur-
gensi Professore:

RESPONDENTE AUTEM M. REINHARDO
Breidenbachio Zirenbergensi Hasso.

*Ad diem 19. Ianuarij, Anno à nato Christo cIo Io xciii.
in auditorio Theologorum.*



MARPURGI,
Ex officina Typographica Pauli Egenolphi,
cIo Io xciii.



Tristes Theologice

QUIBUS SANNA EC

CESTARIUM AUGUSTANA

CONSTITUTIONIS DE INSTITUTIONE

HOMINIS PECATORIS VORAN DEO DOCTRINA

in extenuatione hinc in repetitione hinc in

infirmum hinc in

TRISTES THEOLOGICE

TRISTES THEOLOGICE

TRISTES

RESPONDENTE ANTONIO BERNHARDO

Beilohne Xochter hinc

in hinc in hinc in hinc in hinc in hinc in

in hinc in hinc in hinc in hinc in hinc in



M A R T I N U S

in officina Typographica Pauli Engelke

in hinc in hinc in hinc in hinc in hinc in

T H E S E S

*De Justificatione Hominis peccatoris
coram Deo.*

T H E S I S I.



Justificatio hominis peccatoris coram Deo
rationem actus & processus judicialis habet.

2. Homo enim peccator lege Dei, per quam
palam fit ira Dei de cælo super omnem im-
pietatem & injustitiam hominum. accusatur,
& attestante simul conscientia, & cogitatio-
nibus sese mutuò accusantibus aut etiam excusantibus con-
vincitur de peccato, Rom. 1. & 2.
3. Neque hic ullus hominum excipitur, præter unum, qui
carnem hominis habuit, peccatum autem habere non po-
tuit, Christum Jesum, sanctum sanctorum, impollutum, se-
gregatum à peccatoribus, qui non novit peccatum, nec fecit
malum, in cujus ore dolus non est inventus, Dan. 9. Hebr. 7.
2. Cor. 5. Esa. 53. 1. Pet. 2.
4. Omnis enim homo mendax, omnes declinaverunt, si-
mul inutiles facti sunt, nec est qui faciat bonum, non est usq;
ad unum, & eramus natura filii iræ, quemadmodum & cate-
ri, mortui in peccatis, Psal. 116. 14. Rom. 3. Ephes. 2.
5. Ita igitur omne os obturatur, & totus mundus fit Deo
obnoxius, Rom. 3.
6. Lex dicit sententiam: Maledictus omnis, qui non man-
serit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis, ut faciat ea,
Deut. 27. Gal. 3. Lex iram operatur, Rom. 4. & idèd litera oc-
cidens, & ministerium mortis dicitur, 2. Cor. 3.
7. Proinde homo reus damnatur ad temporales & æter-
nas pœnas.
8. Huic iudicio Dei severo virtutes Ethicæ gentilium non
renatorum minimè satisfaciunt, cum potius eò quòd gentes



veritatem in injustitia detinuerunt, ira Dei de cælo palam fiat super impietatem & injustitiam illarum, Rom. 1.

9. Et quia opera moralia, ut maximè pulcerrima videantur à veteri homine, in vanitate mentis, & in incredulitate, nec etiam ad verum finem fiunt, id est, ad Dei gloriam, sed *καρῆς τὸ θεοδύναμι*, Matth. 6. in peccatis censentur. Quicquid enim ex fide non est, peccatum est, & impossibile est sine fide placere Deo, Rom. 14. Heb. 11.

10. At nec ex operibus legis justificatur omnis caro, Roman. 3. quia lex infirmatur per carnem, Rom. 8. & qui in uno offenderit, factus est omnium reus, Jacob. 2. Maledictus qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis, ut faciat ea, Deut. 27. Gal. 3.

11. Unde Apostolus affirmat: Quotquot ex operibus Legis sunt, sub maledicto sunt, Gal. 3. Justitia autem Dei absq; lege est manifestata, Rom. 3.

12. Quin nec renatorum nova obedientia, & opera secundum legem facta, judicio Dei exquisito respondent, quia imperfecta & impura sunt. Omnes enim justitiæ nostræ ut pannus menstruatae sunt, Esa. 64.

13. Deus enim in naturam & opera nostra inquirens, illa immunda invenit, in cujus oculis ne cæli mundi sunt. Quanto magis abominabilis & contemptibilis homo, bibens sicut aquam iniquitatem? Job. 15.

14. Ideò Sancti severum hunc Dei calculum deprecantur: Domine, si iniquitatem observaveris, Domine quis sustinebit? Psal. 130. Domine, ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in cōspectu tuo omnis vivens, Ps. 143.

15. Neq; verò Deus per errorem hominem improbum justum censere, & à damnationis sententiâ liberare potest, quod hujus mundi iudicibus usu venire queat. Omnia enim ipsius oculis nuda sunt, qui etiam profunditates tenebrarum intropicit, & abyssos cordium, quæ fraudulenta & perversa sunt, Hebr. 4. Jer. 17.

16. Neq;

16. Neq; etiam justo Deo, salva justitia & veritate sua, legis sententiam retractare, & hominem transgressionis convictum, absque satisfactione absolvere convenit, cum Christus ipse adfirmet, se non ad solvendum, sed ad implendum legem venisse, Matth. 5. quin Deus in iudiciis hujus mundi justificationem illam impii ut abominationem damnat, Proverb. 17. Esa. 5.
17. Nulla itaque homini liberandi animam, & infernalis carnificis manus evadendi via & rationes patent, nisi Deus pro immensa sua misericordia commiseratus miseriam nostram, aliud propitiatorium proposuisset, Christum Jesum Θεάνθρωπον, qui unicus est mediator inter Deum & hominem, qui semetipsum tradidit pro nobis omnibus εἰς ἀπολύτωσησιν, Rom. 3. 1. Tim. 2.
18. Hic est advocatus ille justus apud Deum, factus propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi, 1. Joh. 2.
19. Hic nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledictum, Gal. 3. in quem fecit Deus concurrere omnium nostrum iniquitates, quas verè portavit, Esa. 53.
20. Qui itaq; ad hunc thronum gratiæ, & propitiatorium Christum Jesum, in promissione Evangelii propositum, cōfugiunt, qui ejus perfectam obedientiam apprehēdunt, hos Deus propitius, remissis peccatis, propter mediatoris satisfactionem, qua legem ad amissum implevit, & ad peccata expianda horribiles cruciatus & pœnas pertulit, in gratiam recipit, justos censet, à sententia damnationis absolvit, quin etiam in filios & hæredes vitæ æternæ acceptat.
21. Qui enim credit in filium, habet vitam æternam, nec venit in iudicium, sed à morte transit in vitam, Joh. 3. & 5.
22. Ejusmodi judiciale processum esse justificationem nostram coram Deo, antithesis illa docet, qua Paulus accusationem & condemnationem justificationi & intercessioni opponit, Rom. 8. inquit: Quis intētabit crimina adversus
- A 3 electos

electos Dei? Deus est qui justificat: Quis ille qui condemnet? Christus est qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dextram Dei, qui intercedit pro nobis.

23. Ubi Justificatio ex vi antitheseos aliud esse nequit, quàm ab intentato crimine & sententia damnationis absolutio, & remissio culpæ & pœnæ.

24. Ne quis verò putet justificandi verbum eum sensum habere, ut sit per infusionem gratiæ, & inhærentis justitiæ justum fieri, opponit Apostolus intentioni criminis Christum, qui morte sua pro culpa & pœna satisfecit, & qui intercessione sua nos patri reconciliat.

25. Hinc illa fiduciæ plena vox Pauli: Quis nos separabit à dilectione Dei? &c. Rom. 8.

26. Tantam fiduciam inhærens ipsi justitia novæ obedientiæ excitare non potuisset, cum paulò antè septimo capite et statim sic. Si maxime secundum interiorem hominem lege Dei delectetur: tamen invenire se aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & bonum, quod velit, se non facere, malum autem quod nolit, hoc facere.

27. Unde sibi tantæ infirmitatis & immundiciei conscius in miserabilem hanc vocem erumpit: Miser ego homo, quis me liberabit ex corpore mortis hujus?

28. At Christi satisfactio & intercessio ejusmodi fiduciam gignere potuit in Apostolo.

29. Est itaque justificatio hominis peccatoris coram Deo actio Dei, qua hominem peccatorem reum ex sola sua gratia & misericordia propter Christum mediatorem fide apprehensum, sine omni operum merito vel respectu, remissis peccatis, in gratiam recipit, à damnationis judicio absolvit, justum pronunciat, & in filium ac hæredem vitæ æternæ acceptat.

30. Efficiens justificationis causa est primò, misericordia Dei, qua nos gratis sine omni nostro merito, citràq; omnem ad virtutes & opera nostra respectum, propter Christum gratis

126
tis donatum, remissis peccatis in gratiam recipit. De qua gratia David loquitur Psal. 130. apud te est propiciatio. Et Dominus Joh. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Et Paulus: Commendat Deus charitatem suam, quòd cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, Rom. 5.

31. Deinde Christus cum suo merito, obedientia, satisfactione, intercessione, efficaciq; nostri à lege peccati & mortis, & à potestate Satanæ liberatione, ut qui omnia, quæ ad promerendam & acquirendam nobis justitiam & salutem necessaria sunt, perfectam legi omni ex parte præstando obedientiam cum solutione pœnarum, vincendo mortem & Diabolum plenissimè executus est.

32. Quin etiam Christus cum sua obedientia & satisfactione est illud ipsum quod nobis ad justitiam imputatur, ut in Christo omnis causa & materia justitiæ & salutis nostræ posita sit, & hic ipse nobis imputatus sit forma justificationis nostræ.

33. Hoc enim Christo induti, & nos in Christo inventi coram Deo justii, mundi, & sancti reputamur, Esa. 61. Phil. 3.

34. Quòd pertinent omnia illa Scripturæ dicta: Ubi venit plenitudo temporis, emisit Deus filium suum, factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut jus filiorum acciperemus, Gal. 4. Christus est legis finis ad salutem omni credenti, Roma. 10. Christus mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter justificationem nostram, Rom. 4. Eum qui non novit peccatum pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei per illum, 2. Cor. 5. Christus dilexit ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, Eph. 5. Filius hominis dedit animam suam, ut regerit pro multis, Matth. 20. Semen mulieris conteret caput serpentis, Gen. 3. Deus redemit ecclesiam sanguine suo proprio, Acto. 20. Per mortem abolevit eum, qui mortis imperium habebat,

bat, hoc est Diabolum, & liberos nos reddidit, Heb. 2. Sedet ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis, Rom. 8. Unde nomen ejus Jehova, justitia nostra, Jere. 23. Et si unus pro omnibus mortuus est, omnes mortui sunt, 2. Cor. 5.

35. Hanc gratiam suam, Christi obedientiam, meritum, redemptionem, remissionem peccatorum, & justitiam, Deus in verbo suo ante faciem omnium populorum proponit, Luc. 2. eademq; beneficia per Verbum & Sacramenta offert & obfignat.

36. Est enim Evangelium potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1. annunciatio salutis, verbum reconciliationis, 2. Corin. 5. verba vitæ æternæ, Joh. 6. verba per quæ salvamur, Act. 11. per Christum annunciatur remissio peccatorum, à quibus in Lege salvari non poteramus, Act. 13. Et salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis in Spiritu sancto, Tit. 3. Christus Jesus venit per aquam & sanguinem, 1 Joh. 5.

37. Instrumentum autem, gratiam illam, Christumq; cum omni suo merito & redemptionis beneficio in verbo promissionis oblatum, recipiens, est Fides, à Spiritu S. per Verbum & usum Sacramentorum excitata & conservata.

38. Christus enim ex immensa misericordia nobis donatus, extra nos opus redemptionis nostræ peregit, & noster fit per fidem, per quam in cordibus nostris habitat, Eph. 3.

39. Qui enim credit in Christum, habet vitam æternam, Joh. 3. Quoniam scimus justificari hominem non ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, & nos in Christum credidimus, ut justificaremur ex fide Jesu Christi, & non ex operibus Legis, Galat. 2.

40. Fides illa justificans & salvans non tantum historię passionis, mortis, resurrectionis, &c. notiã & assensionem generalem significat, cujusmodi fidem etiam dæmones habent, & contremiscunt, teste Jacobo 2. cap. sed etiam fiduciam cordis, qua anima vel cor agnitione peccati & sensu iræ
divinæ

divinæ contritum se ad Christum, agnum illum Dei tollentem peccata mundi erigit, & sitiens Justitiam, illius propitiationem & meritum appetit, apprehendit, illi inhæret, in ipso acquiescit, & Spiritu S. arrhabone hæreditatis veritatem Evangelii obsignante, certò sibi persuasum habet, sibi propter Christum remissa esse peccata, se vera justitia donatum, propter hanc victimam iram Dei placatam, & illa fiducia omnes terrores iræ Dei, & pavores conscientia vincit.

41. Fides hæc justificat non propter suam dignitatem, sed quia se avertit à seipsa, & in Christum elevat, in quo tâquam petra salutis consistens, remissionem peccatorum, justitiam, & salutem apprehendit.

42. Forma est ipsa imputatio gratuita justitiæ Christi, remissio peccatorum propter Christum, & acceptatio credentis in Christum ad vitam æternam: vel quod idem est, imputatio fidei ad justitiam.

43. Finis est, ut Deus ostenderet in seculis supervenientibus eminentem opulentiam gratiæ suæ benignitate erga nos, per Christum Jesum, Ephe. 2. II. Ut ipse sit justus, justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi, Psal. 51. Rom. 3. Inde enim justitia Dei illustratur, quòd hominem peccatorem non nisi interveniente plena satisfactione & ἀντιλήτρω in gratiam recipit. III. Ut omnis gloriatio hominis excluderetur per legem fidei, Rom. 3. Donum Dei est, non ex operibus, ne quis gloriatur, Eph. 2. II II. Ut sic liberati ab omnibus inimicis nostris, serviremus Deo in justitia & sanctitate, Luc 1. Sanguis enim Christi purgat conscientiam nostram ab operibus nostris, ad serviendum Deo viventi, Heb. 9.

44. Effectus justificationis sunt, quòd homo sic accepta gratis peccatorum remissione propter Christum, nunc est in gratia Dei, vivit in fide filii Dei, est filius & hæres vitæ æternæ, fruitur pace & lætitia conscientia. Gloriatur spe gloriæ Dei, gloriatur super afflictionibus, Rom. 5. Omnes enim filii Dei estis per fidem in Christo Jesu, Gal. 3.

B

45. Inde



45. Inde etiam hic effectus consequitur, quod homo meditatione tanti beneficii, virtute Spiritus sancti, carnem cum suis concupiscentiis mortificat, vivit Deo, & in ipsius obsequium se addicit. Quod est alterum Christi beneficium, sanctificatio, de qua Apostolus ait: Conditi in Christo Jesu ad bona opera, quæ præparavit in nobis, ut ambulemus in illis, Ephes. 2.

46. Quod pertinet insignis ille locus Apostoli Tit. 2. Illuxit gratia Dei salutifera omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegata impietate, & mundanis concupiscentiis, sobriè, & justè, & piè vivamus in præsentis seculo, & quæ ibi sequuntur.

47. Porro omnes illæ causæ in actu justificationis operibus tum fidem antecedentibus, tum illam consequentibus, omnem causæ & meriti rationem ac laudem derogant.

48. Gratia enim & opera, quæ aliàs ut causa & effectum simul esse possunt, in causa justificationis & salutis *ἀντιδιωκόμε-
ως* opponuntur, & se mutuò removent. Si enim, inquit Apostolus, per gratiam, non jam ex operibus, quandoquidem gratia jam non est gratia: Sin ex operibus, jam non est gratia, quoniam opus id non est opus, Rom. 11.

49. Unde Paulus, cum per gratiam Domini plus laborasset reliquis Apostolis, & renatus ita vixisset, ut nullius rei sibi conscius esset, tamen in hoc negat se justificatum, 1. Cor. 4.

50. Quin Abrahamum, quem Scriptura ut universale exemplum omnium, qui justificantur, introducit, tum etiam, cum jam in medio bonorum operum cursu esset, negat Apostolus operibus justificatum, Ro. 4. Si enim, inquit, Abraham ex operibus justificatus fuit, habet quod gloriatur, at non apud Deum. Quid enim Scriptura dicit? Credidit autem Abraham Deo, & imputatum est ei ad justitiam. Ei verò, qui operatur, imputatur merces non secundum gratiam, sed secundum debitum, &c.

51. Deinde, si Christus nos redemit à maledicto legis, & benedictionis autor est, nec in alio quoquam salus est, nec est aliud

aliud nomen datum inter homines, in quo oporteat nos salvos fieri, nullis nostris operibus nos à maledictione redimere, Deo satisfacere, & benedictionem ac salutem promereri possumus, aliàs Christus frustra mortuus esset, Gal. 3. Act. 4.

52. Rursus, si fide justificamur, non justificamur operibus.

53. Scimus enim justificari hominem sine operibus legis, Nisi (ἐὰν μὴ) per fidem Jesu Christi.

54. Quod ipsum Ecclesiæ nostræ volunt, hanc propositionem usurpantes & retinentes: *Sola fide justificamur.*

55. Non autem illa oratione præsentiam bonorum operum excludunt.

56. Nam mortuam fidem, quæ est sine operibus, rejiciunt, sicut etiam impurorum hæreticorum Epicuræam sententiã damnant, fingentium fidem, quæ cum proposito peccandi stare queat.

57. Ubi enim fides justificans est, ibi mens agnitione peccati, & sensu iræ Dei adversus peccatum perterrita, illud detestatur, fiducia autem Mediatoris se erigit & consolatur, & consideratione summi nostræ cum Deo reconciliationis beneficii, impulsu, & ductu Spiritus sancti, quod superest in carne tempus, non concupiscentiis hominum, sed voluntati Dei vivit, 1. Petr. 4.

58. Detrahit autem operibus tum laudem & conditionem meriti, tum etiam ἐνεργειαν apprehensionis, tum omnem causæ justificationis rationem.

59. Si enim gratis justificamur per gratiam, ergò non justificamur operibus nostris.

60. Quòd verò nec apprehensionis & applicationis ἐνεργειαν habeant opera sive fidem antecedentia, sive illam consequentia, manifestum est ex Scriptura, quæ cum fidem & opera opponat simpliciter, ut illam sine his justificare, illam sine his ad justitiam imputari pronunciet, docet solam fidem esse instrumentum illud, quo Christus cum suis beneficiis in Evangelio oblatus apprehenditur, & à nobis applicatur.

B 2 Ita

61. Ita enim Dominus non facta mentione operum, ait, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam, Joh. 3.
62. Deinde quia promissio Evangelii requirit fidem, ex natura relativorum fides illam intuetur, & in ea Christum cum suo merito apprehendit.
63. Ergo si fides & opera justificant, necesse est causam meritariam salutis nostræ inter Christum & opera partiendam, quod Scriptura negat simpliciter, quæ operibus Abrahami, fidem consecutis, laudem justificationis derogat, & addit: Operanti merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum, Rom. 4.
64. Et si ex operibus legis non justificatur OMNIS vivens, OMNIS homo, Ro. 3. Psal. 143. Gal. 2. nec renati ex operibus legis justificantur.
65. Habet autem propositio illa: Sola fides justificat, suum in Scripturis sanctis fundamentum.
66. Etenim cum Paulus affirmat, Gal. 2. Scientes, non justificari hominem ex operibus legis, Nisi (ἐὰν μὴ) per fidem Jesu Christi, prorsus idem, quod nos, dicit.
67. Hæc enim particula (ἐὰν μὴ) in rebus ἀντιδιηρημένως oppositis, ubi una vel pluribus negatis alia affirmatur, priora membra excludit, & posterius solum asseverat, sicut mox subjicit: Et nos in Christum Jesum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis.
68. Deinde ipse Dominus utitur particula exclusiva, cum Jairum ita alloquitur: Μόνον πίστευε καὶ σωθήσεται, Marc. 5. Luc. 8.
69. Præterea Apostolus aliis æquipollentibus utitur, ut cum adserit, nos justificari fide, sine operibus, gratis, per gratiam, justitiam esse sine lege, non ex lege, non per legem, non ex operibus.
70. Neq; verò hoc prætereundum est, quòd Syriacus textus, qui vetustissimus esse creditur, & ipsi Marco Evangelistæ adscribitur, ad Rom. 4. cap. versiculum quintum sic exprimit:

primit: Ei verò, qui non operatur, sed TANTUM (*Balchud*) credit in eum, qui justificat peccatores, imputatur fides sua ad justitiam.

71. Nec minus justificationis forma, operum meritum excludit.

72. Si enim gratuita peccatorum propter Christum mediatorem remissio, & justitiæ Christi per fidem imputatio est justificatio nostra: Ergo inhærens nobis operum justitiæ, justificatio nostra non est.

73. Ita enim Paulus ex sententia Davidis de justificatione differit: Porro ei qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam. Quemadmodum & David explicat beatificationem hominis, cui Deus imputat justitiam absq; operibus. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum obrecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, Rom. 4.

74. Quid verò, quòd ista operum justitiæ obscurat & tollit fines illos justificationis, ut sunt: *Ενδειξις ἡ ὑπερβαίνουσα πλεονεξίας χάριτος* & *ἡ ἐν χριστῷ πειρὰ ἡμῶν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*: Illustratio justitiæ Dei, & omnis humanæ gloriationis exclusio.

75. Adhæc, si bona opera effectus & fructus justificationis sunt, causæ locum non magis obtinet, quàm si quis fructum arboris causam constituat.

76. Operæ pretium verò est etiam Pontificiorum errores, in quibus circa omnes justificationis causas versantur, detegere.

77. Neque verò nunc illos in hac Evangelii luce cuius, fundamentum fidei tenenti, obvios repetimus, quòd finxerunt olim meritum cõgrui, quo se homines ad gratiam præparare edocti sunt: quòd Scholastici nonnulli contenderunt, Animam per actum à voluntate simul & gratia elicitem de condigno mereri æternæ beatitudinis præmium: quemlibet actum charitatis absolutè mereri vitam æternam: Quod viatoris voluntas humana ex suis naturalibus viribus possit Deum super omnia diligere.

78. Præ-

78. Præterimus etiam commentum Monachorum de operibus Supererogationis.
79. Præterimus, quod stigmatibus vulnerum ab angelo S. Francisco impressis, viros, & sanctæ Claræ virginitatis merito mulieres conservandi à morte æterna virtutem tribuerunt.
80. Hos idè præterimus, quod illorum ipsos Pontificios perspicaciores suppudere cœpit, quãdo quidem illorum defensionem causæ suæ officere vident.
81. Assignamus nunc præcipuos saltem, quibus hoc tempore sanã Euangelii de justificatione doctrinam involvunt, & lucem in tenebras commutant,
82. Error autem est, quòd per vocem GRATIÆ, in justificationis negotio intelligunt renovationem.
83. Et si enim vox illa sæpiùs in Scripturis usurpatur pro donis Spiritus sancti, beneficio renovationis & sanctificationis: in negotio tamen justificationis significat misericordiam Dei, φιλανθρωπίαν, χρισόπιτη, dilectionem, qua nos dilexit in dilecto, Ephel. i. qua nos gratis, propter Christum, cõdonatis peccatis, in filios adoptat, & ad vitam æternam acceptat.
84. Quæ gratia in actu justificationis opera juxta se non fert, Roma. ii. Eph. 2.
85. Cùm verò Gratia renovationis & sanctificationis sit nihil aliud, quàm donatio Spiritus sancti, per quem Deus legem suam describit in cordibus nostris, & efficit, ut in præceptis suis ambulemus, Jerem. 31. Ezech. 36, Paulus autem Abrahamum operibus novæ obedientiæ, in fide, secundum præcepta Domini editis, Hebr. ii. justificatum neget. Cuius liquet, Gratia voce in justificationis causa neuti-quam vitæ novitatem intelligendam.
86. Quorsum verò objiceret Apostolus, Rom. 6. Manebimus ergo in peccato, ut gratia abundet, si gratia vitæ sanctimoniam significat?

87. De-

87. Deinde fœdus error est, quo fundamentum salutis nostræ evertitur, quod quidam non erubescit scribere, abominandam orationem esse, si dicamus, Christo imputata esse peccata nostra.

88. Pugnat hic error cum dicto Esaia: Jehova conjecit in illum iniquitates omnium nostrarum, quas ipse tulit & portavit, Esa. 53.

89. Et si vulneratus est propter prævaricationes nostras, ac attritus propter iniquitates nostras: Si exolvit quod non rapuit, nonne nostræ prævaricationes & debita ipsi sunt imputata?

90. Quod usque aded verum est, ut Paulus scribere non vereatur, Christum, qui peccatum non novit, pro nobis factum peccatum, & maledictum, 2. Cor. 5. Gal. 3. & Scriptura ipsum prævaricatoribus adnumeret.

91. Hinc fit, ut felici commutatione facta, nos peccatores & impii, in Christum tamen credentes, efficiamur justitia Dei per ipsum, & à legis maledicto liberemur.

92. Pugnat hic error cum typo hirci ἀποπομπάιν, super cujus caput Aharon in festo expiationis, impositione manuum, & confessione, ponebat omnes prævaricationes & iniquitates filiorum Israël, quas ipse portabat emissus in desertum, Levit. 16. qui hircus fuit typus agni Dei, tollentis peccatum mundi, Johan. 1.

93. Ob quam οἰκείωσιν, qua filius Dei per se Sanctus sanctorum, ex abundantia commiserationis nostra peccata sua fecit, sibi adscribit, quæ ipsi aliàs minimè competunt, ut quod Psalm. 69. peccata sua confitetur, inquiens: Quæ non rapui, exolvi. Deus tu nosti stultitiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita.

94. Detestandus hic error mortem Christi tollit.

95. Mors

95. Mors enim stipendium peccati, Roma. 6. In quocunq; peccatum nō est, in hunc mors nihil juris habet: At in Christo non sunt peccata propria (est namq; sanctus sanctorum, & impollutus) neque secundum apostatam quendam, nostra peccata ipsi imputantur, vel appropriantur: Ergo mors in ipsum nihil juris habere potuit. Ergo Christus mortuus non est. Ergo nulla nobis à peccato & morte liberatio per Christum constat.

96. Quandoquidem verò Christo verè peccata nostra imputata sunt, quæ, ut Petrus loquitur, pertulit, 1. Petr. 2. hinc scilicet fit, ut ipsius obedientia & satisfactio nobis imputetur, & donetur, tam verè, ut, sicut ob nostrorum peccatorum οἰκείωσιν Christus verè mortuus est: ita nos ob imputatam Christi justitiam certissimam vitæ æternæ spem habeamus.

97. Error est præterea, quòd Christum non pro pœna, sed pro culpa tantùm satisfecisse censent.

98. Contrarium enim Propheta pronunciat: *Castigatio pacis nostræ super eum, & livor eius sanitas nobis*, Esa. 53.

99. Sed & error pestilens est, quòd docent, Christum sua passione & morte impetrasse tantùm χάρισμα Spiritus sancti, per quem possumus legem implere, qua legis impletione justificemur.

100. Reclamat Paulus renatus Rom. 7. ajens: Lex est spiritualis, ego autem carnalis, venditus sub peccatum.

101. At Pharisaicum est, operibus quæ Spiritus sanctus in nobis, & per nos efficit, divinam justificandi & salvandi potentiam adscribere.

102. In mortem autem & satisfactionem Christi cōtumeliosum, censere ipsum hoc solùm promeruisse, ut per Spiritum sanctum faciamus bona opera, quibus nos deinceps peccata expiemus, & vitam æternam promereamur.

103. Si enim Christus purgationem peccatorum nostrorum per semetipsum fecit, Heb. 1. nequaquam per nos illam facimus. Si unius Christi obedientia justi sumus, Rom. 5. non nostræ

nostræ obedientiæ operibus iusti erimus, sicut nec Abrahama-
 mus, nec Paulus, operibus suis iustificati sunt, Ro. 4. i. Cor. 4.
 104. Solus igitur Christus, in cruce exaltatus, peccata no-
 stra expiavit, sicut scriptum est: Ego, ego sum, qui deleo præ-
 varicationes tuas propter me, Esa. 43. & vitam æternam no-
 bis promeruit, sicut Scriptura testatur, Johan. 3. ut omnis qui
 credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam, quæ
 finis fidei Christum intuentis est, ut ait Petrus: Reportantes
 finem fidei vestræ salutem animarum, 1. Petr. 1.
 105. Gravis error est, quòd in locum imputatæ Christi ju-
 stitiæ substituunt inhærentem justitiam.
 106. Contradicunt namq; Apostolo, qui Beatificationem
 hominis explicat, cui Deus imputat justitiam absque operi-
 bus, Rom. 4. Et rursus: Propter Christum omnia pro damnis
 duxi, habeoq; pro rejectamentis, ut Christum lucrifaciam, &
 inveniar in ipso, non habens meam justitiam, quæ est ex le-
 ge, ἀλλὰ τὴν διὰ πίστεως χριστοῦ, τὴν ἐν θεῷ δικαιοσύνην ἐπὶ τῇ πίστι.
 107. Error est, quum contendunt Pontificii, justificatio-
 nem esse non tantum peccatorum remissionem, sed etiam
 renovationem mentis, quam vivificationem interioris ho-
 minis appellant, in qua fides & charitas cooperentur.
 108. At Apostolus ex professo justificationem & beatifi-
 cationem hominis ex Psalmo 32. definit remissione peccato-
 rum, Rom. 4.
 109. Neq; verò peccatorum remissio obedientiam Chri-
 sti excludit.
 110. Christum enim in Baptismo induimus, Gal. 3. qui fide
 apprehensus, sua perfectissima obedientia nobis est vesti-
 mentum justitiæ & salutis, quo peccata nostra teguntur, qui
 ideò dicitur Jehova justitia nostra, Esa. 61. Jere. 23.
 111. Quòd verò *iustificatio* non sit vitæ novitas, vel nova viii
 obedientia, id ex illustri loco Apostoli ad Ephes. 2. liquet, ubi
 cum demonstrasset nos in delictis & peccatis mortuos, na-
 turaq; omnes filios iræ fuisse, mox subjicit: Sed Deus, qui di-
 ves

C ves



ves est in misericordia propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, etiam cum essemus mortui per delicta convivificavit nos unam cum Christo (per gratiam estis servati) simulque cum eo resuscitavit, & simul cum eo sedere fecit inter caelestes in Christo Jesu, ut ostenderet in seculis supervenientibus eminentem opulentiam gratiae suae, benignitate erga nos per Christum Jesum. Gratia estis servati per fidem (idque non ex vobis, Dei donum est) non ex operibus, ne quis gloriatur.

112. Tribuit B. Apostolus vivificationem (quae in remissione & condonatione peccatorum consistit) non nostrae charitati, qua nos ipsum dileximus, sed immensae Dei misericordiae, & charitati, qua ipse nos dilexit, & benignitati ejus erga nos per Christum Jesum. Huic gratiae Dei justificationem, vivificationem & salutis causam insolidum, & nullo modo operibus nostris adscribit.

113. At hujus vivificationis effectum, signum & nota est vitae novitas & charitatis opera, quemadmodum motus, sensus, usus cibi & potus, &c. naturalis vitae effecta, signa & notae sunt. Sicut ipse Apostolus innuit, cum addit: Conditi in Christo Jesu ad bona opera, quae praeparavit Deus, ut ambularemus in eis, Eph. 2.

114. Contendunt praeterea pontificij sanctis in hac vita peccata non tantum remitti, non imputari, & abscondi, sed radicitus extirpari, non sine turpi hallucinatione.

115. Quam deinceps alij sequuntur errores, ut sunt: peccati reliquias non esse in renatis peccatum, sed fomitem peccati: Peccatum non esse sine consensu, aut sine operatione: Sanctos in hac vita perfectos esse ejusmodi justitia (inherente scilicet ipsis & habituali) quae venire possit in iudicium Dei, vel justos in hac vita plenè & ex toto sanctos esse, & nequaquam amplius peccatores, qui ipse pharisaeus est.

116. At Davidis, viri secundum cor Dei vox est, delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, Ps. 19. Eiusdem vox est:

est: Non est integrum in carne mea, propter iram tuam, non est pax ossibus meis propter peccatum meum. Quoniam iniquitates meae transierunt caput meum: Sicut onus grave graviores fuerunt me, Ps. 38. Salomonis vox est: Quis potest dicere, mundum est cor meum, & mundus sum a peccato meo? Proverb. 20. Et rursus: Non est homo qui non peccet, 1. Reg. 8. Esaiæ vox est: Veh mihi quia tacui: Nam vir pollutus labijs sum, & in medio populi pollutis labijs habito. Petri vox est: Discede à me Domine, quia homo peccator sum, Luc. 5. Pauli vox est: Non enim, quod volo, hoc facio, sed, QUOD ODI, hoc facio. Et mox: Nunc autem non jam perpetuo illud, sed inhabitans in me PECCATUM. Item, Non enim, quod volo, facio bonum, sed quod NOLO MALUM, hoc facio, &c. Communis omnium sanctorum vox est, ut dicebat adversus Pelagianos Augustinus, Si dixerimus, peccatum non habemus, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est, Joh. 1.

117. Itaque remittitur credentibus in Christum peccatum, non ut non sit, sed ut ne imputetur, sicut loquitur idem Augustinus, quandoquidem nulla nunc est condemnatio his, qui in Christo Jesu sunt, &c. Rom. 8.

118. De fide verò quàm tetros tuentur errores? Ajunt fidem in diversis animi potentijs ponere, ut sit notitia in mente, & fiducia in voluntate, esse môstrum & chimæram. Separant igitur & secludunt à fide fiduciam cordis. Et definiunt tantùm generali notitia & assensu omnium eorum quæ Deus credenda præcepit & manifestavit.

119. Ubi non solùm ea credi volunt, quæ Deus verbo Prophetico & Apostolico manifestavit, sed etiam omnia illa quæ Papa & Romana Ecclesia sub prætextu traditionum Apostolicarum vendit contra verbum scriptum, ut: Missam esse sacrificium propiciatorium pro peccatis viventium & demortuorum: Panem cænæ Dominicæ transubstantiari in corpus Domini nostri JESU CHRISTI:

C 2 Laici

Laicis alteram Cœnæ partem, calicem, subtrahendam : Sanctos defunctos, ut qui suis nos suffragiis & meritis juvent apud Deum, ut patronos, & in necessitatibus opitulatores invocandos : Presbyteris & Episcopis à conjugio abstinendum : Esse purgatorium, in quo exquisitissimis & acerbissimis suppliciis peccata post hanc vitam expientur, & divinæ justitiæ satisfiat. Quæ & alia ejus generis commenta omnia ut divinitus revelata credi volunt.

120. Verùm hanc fidem, quæ tantùm notitia historiæ definitur, etiam Diaboli habent, & contremiscunt, Jac. 2.

121. Esse autem fidem *γνώσιν τῆς σωτηρίας ἐν ἀφέσει ἁμαρτιῶν*, Luc. 1. *ἢ πληροφoείαν συνέσεως*, in agnitionem mysterii Dei, & Patris, & Christi, Colossen. 2. & unà firmam fiduciam misericordiæ Dei à Christo exhibitæ, plurima argumenta evincunt.

122. Cùm enim definit Apostolus fidem *ὑπόστασιν τῶν ἐλπίζομένων*, quid aliud docet, quàm fidem ejusmodi esse fiduciam & confidentiam, qua cor promissionibus Evangelii de veris & æternis bonis ita innitur, ut nullis tentationibus, nulla vi adversaria inde dimoveatur, sicut Psalter de fide loquitur : Paratum cor ejus fidens Jehovah. Cõfirmatum cor ejus non timebit, Psalm. 112. Et rursus : Qui confidit in Jehova, sicut mons Zion non commovetur, Psal. 125.

123. Ita opponitur fugæ & cessione : Consistite, state & videre salutem Jehovah vobiscum. Credite in Jehovah Deum vestrum, & roboramini, 2. Par. 20. Diffidentia & dubitationi. Abrahamus non infirmatus fide, ad promissionem Dei non hæsitabat ob incredulitatem. Robustus factus est fide, *πληροφoρηθεὶς*, Rom. 4. Si habueritis fidem, & non hæsitaveritis, Matth. 21.

124. Idem docet Scriptura, cùm jubet nos toto corde credere : Fide Jehovah toto corde tuo, & intelligentiæ tuæ ne in-nitaris, Prover. 3. *Θαρρεῖν*, Matth. 9. *μετὰ παρησίας ἢ ἐν πεποιθήσει*, & vero corde, *ἐν πληροφoείᾳ τῆς πίστεως* ad Deum accedere, Eph. 3. Heb. 5. & 10. Idem

125. Idem docent fidei salutaris effecta, ut sunt, Pax, & tranquillitas conscientiae, lætitia, gloriatio spei, gloriatio super afflictionibus, Roman. 5. quod, qui credit, non confunditur, Roma. 10.

126. Quibus omnibus etiam aliud impium dogma refellitur, quo sanctos nunquam de gratia Dei certos esse posse & debere statuunt, & hanc de gratia Dei & salute certam & indubitam persuasionem, ut præsumptionem temerariam & superbiam exagitant.

127. Hinc Canones illi impij Concilij Tridentini: Si quis dixerit omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessariū esse, ut credat certò & absq; hæsitatione propria infirmitatis & indispositionis peccata sibi esse remissa, Anathema sit. Si quis dixerit hominem à peccatis absolvi ac justificari ex eo quod absolvi & justificati se credat, aut neminem verè justificatum esse, nisi qui credit se justificatum esse: & hac sola fide absolutionem & justificationem perfici, anathema sit. Si quis dixerit, hominem reatum & justificatum, teneri ex fide ad credendum, se certò esse ex numero prædestinatorum, anathema sit.

128. Longè aliter Johannes Apostolus scribit: Nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit id quod futurisumus. Scimus autem, quod si apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, 1. Joh. 3. Et rursus: Qui credit in Filium Dei, habet testimonium in seipso. Qui non credit Deo, mendacem facit eum, &c. Et mox: Hæc scripsi vobis, qui creditis in nomine filij Dei, UT SCIATIS, quod vitam habetis æternam, & ut credatis in nomine filij Dei, & hæc est fiducia, quam habemus erga eum, quod, si quid petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos, 1. Johan. 5.

129. Firmum igitur est, fidem, quæ tùm notitia tùm fiducia definitur, esse quidem in diversis animæ potentijs, sed tamen in ipsa anima & corde, sicut scriptum est: Corde creditur ad justitiam, ubi cor mentem & voluntatem completur.

130. Corde namq; intelligimus, Es. 6. Johan. 12. Corde confidimus, Psalm. 112. Corde à Deo recedimus, Jerem. 17.
131. Error etiam est, quod nugantur Lutheranorū figmentum esse: Fidem justificantem tantū vel præcipuè Christum intueri.
132. Etsi enim fides omnia credit, quæ Deus verbo Prophetico & Apostolico in scripturis sanctis nobis revelavit & credenda præcepit: Tamen fides justificans in verbo revelato quærit id præcipuè, quod tantū nobis causa salutis est, nimirum misericordiam Dei propter Christi meritum in Euangelio promissam & exhibitam.
133. Hæc enim est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum, Johan. 17. Scientia sui justificabit servus meus justus multos, & iniquitates ipsorum ipse portabit. Ipse vulneratus est propter prævaricationes nostras, attritus est propter iniquitates nostras, Es. 53. Hæc est voluntas patris mei, ut omnis qui videt Filiū, & credit in eum non pereat sed habeat vitam æternā, Johan. 6. Justificamur gratis per ipsius gratiam, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorium per FIDEM IN SANGUINE EJUS, Romanorum 4. Nec est in ALIO QUOQUAM SALUS, Act. 4.
134. Error est, hominem justificari fide, spe, & charitate.
135. Nam nec Abrahamum, nec Paulum, nec ullum sanctum operibus in fide factis justificatum esse jam antè dictum est.
136. Fides enim promissionem Euangelij intuetur, & in ea gratiam Dei, & Christum cum suo merito apprehendit, qui est justitia nostra, Jer. 23.
137. Hinc toties vox illa repetitur: Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Hæc enim vita in filio est, 1. Johan. 5.
138. Hanc ἐνέσπραν spes & charitas non habent.

139. Postea-

139. Posteaquam enim fides Christum, & in Christo remissionem peccatorum, justitiam, adoptionem & salutem in promissione Euangelij, cui credit, oblatam apprehendit, spes bona caelestia & futura, & ipsius vitae, quæ in Christo abscondita est, manifestationem expectat, sicut scriptum est: Spes si videatur, non est spes. Quod enim quis cernit, cur idem speret? Si verò quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus, Rom. 8.

140. Charitas autem, ubi credentes jam bonitatem benignissimi patris gratis propter Christum cōdonatis peccatis, in filios adoptantis, & gratuito favore complectentis gustarunt, jam ipsum redamat, & propter ipsum diligit proximum.

141. Spes igitur & charitas fidem, qua homo jam remissionem peccatorum, justitiam & adoptionem adeptus, & ita justificatus est, proximè sequuntur.

142. Errare Papistas & in hoc, quòd à causa justificationis solùm opera fidem antecedentia, non autem illam consequentia removent, antea demonstratum est.

143. Libet etiam attingere corruptelam, qua doctrinam Apostolicam de imputatione fidei ad justitiam, vel imputata justitia Papistæ depravant.

144. Nec enim credunt fidem imputari ad justitiam ea ratione, qua Christum ejusq; meritum, & obedientiam perfectissimam intuetur, sed qua conferte nobis dicatur justitiam inhærentem, vel quatenus juxta se habet spem & charitatem, quæ sit *χάρισμα* Christi, ejusque meriti fructus. Non credunt Christi justitiam, quam ipse impletione legis perfecta, & sanctissima sua passione & morte acquisivit non sibi, sed nobis, imputari nobis, qui in nomen ejus credimus, ut propter illam justii reputemur in conspectu Dei.

145. Itaq; fundamentum imputationis ponunt justitiam nobis inhærentem, fidem ut est virtus cum spe & charitate.

146. Verùm hæc corruptela graviter refellitur pluribus argumen-

argumentis. Etenim Christus exolvit quod non rapuit, Psalm. 69. Dedit autem semetipsum λύτρον, ἀνπλυτρον, εἰς λύτρωσιν pro nobis. Hinc fit, ut nobis credentibus in ipsum peccata non imputentur, Ps. 32. Imputatur autē nobis ipsius satisfactio, qua cūm satisfiat justitiæ divinæ, nos justī reputamur. Illa autem nisi nobis imputetur, peccata nostra non oportet nobis non imputari, exigente id immutabili Dei justitia.

147. Deinde justitia sanctis inhærens est imperfecta. Volentibus enim facere bonum adjacet malum, Rom. 7. Ideò hæc in judicium Dei venire, & immutabili Dei justitiæ satisfacere nequit, invenit enim Deus in sanctis etiam quod accuset.

148. Unde sancti illud judicium Dei deprecantur, Ps. 130, 143. Et Paulus licet nullius sibi sit conscius rei, tamen in hoc negat se justificatum. Et idem Abrahamū habentem inhærentem justitiam pronunciat non operibus justificatum, sed credenti in eum, qui justificat impium, fidem suam imputam esse ad justitiam, Rom. 4.

149. Quare fidem, quæ imputatur ad justitiam, necesse est ejusmodi fundamento niti, quo lex stabiliatur, Rom. 3.

150. At hoc inhærens justitia vel virtutes Theologicæ sanctorum non præstant, quoniam nemo sanctorum plene & perfectè manet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Solus autem Christus perfecta sua obedientia & satisfactione illud præstat. Quare hæc fide apprehensa, vel fides illam apprehendens nobis imputatur ad justitiam. Ille mediator noster fert hoc nomen, ut dicatur Jehova justitia NOSTRA, ut in ipso solo gloriemur.

151. Quæ verò in contrariam sententiam afferuntur, in disputationis progressu per Domini gratiam discutiemus.

SOLI DEO GLORIA.

Erratum. *Thesi 43. lin. ult. pro nostris, lege mortuis.*

AB

50A $\frac{2}{h, 12}$


ULB Halle 3
003 485 560




Sch

Rest.
Sep./Okt 84 Schuss.







B.I.G.

Farbkarte #13

15

183

Theologica:

SANA EC-

M AUGUSTANAE

DE JUSTIFICATIONE

IS CORAM DEO DOCTRI-

is repetitur, & de ea *αὐθιμαίς*

itur publica:

ANNE VVINCKELMAN-

e, & in Academia Marpur-

Professore:

AUTEM M. REINHARDO

o Zirenbergensi Haffo.

no à nato Christo cło Io xciii.

orio Theologorum.



RPURGI,

graphica Pauli Egenolphi,

Io xcii.

